

CONCOURS D'ADMISSION DE 2004

Option lettres et sciences humaines

LATIN deuxième langue

Mardi 11 mai 2004 de 14h à 17h

VERSION LATINE

Durée : 3 heures

Le défi d'Apelle et de Protogène
... ou les débuts de la peinture abstraite ?

Scitum est inter Protogenen et Apellen quod accidit. Ille Rhodi uiuebat, quo cum Apelles adnauigasset, auidus cognoscendi opera eius fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machina (1) aptatam una custodiebat anus. Haec foris esse Protogenen respondit interrogauitque, a quo quaesitum diceret. «Ab hoc», inquit Apelles, adreptoque penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam. Et reuerso Protogeni quae gesta erant anus indicauit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem dixisse «Apellen uenisse, non cadere in alium tam absolutum opus» ipsumque alio colore tenuiorem lineam in ipsa illa duxisse abeuntemque praecepisse, «si redisset ille, ostenderet adiceretque hunc esse quem quaereret». Atque ita euenit. Reuertit enim Apelles et uinci erubescens tertio colore lineas secuit nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes uictum se confessus in portum deuolauit hospitem quaerens, placuitque sic eam tabulam posteris tradi omnium quidem, sed artificum praecipuo miraculo. Consumptam eam priore incendio (2) Caesaris domus in Palatio audio, spectatam nobis ante, spatiose (3) nihil aliud continentem quam lineas uisum effugientes...

PLINE L'ANCIEN.

- (1) *machina* = *chevalet*
(2) *priore incendio* : peut-être l'incendie de 64 ap. J.C.
(3) *spatiose* : «sur une grande surface»

- Rappel : L'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.
- Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.